
PHOEBVS
In Lechico Trione
POST SOLSTITIVM HYEMALE
Ascendens
Lauros Virentes in Laureto Inclytæ Acad: Zamoſcen: reproducens

Quibus
Venerabiles Domini.
IOANNES ZIELONKA
GREGORIVS BRZOZOWICKI
Artium Magiſtri & Phil: Doctores
Renunciati
Per Clariſs: & Excellentiſ: Dominum
M. ANDREAM ABREK
Leopol: V.I. Doct: Ord: Moral: Phil: Profeſs:
In publicâ Virorum Illuſtrium panegyri
EXORNABANTVR
Anno ab Academiâ Zamoſc: conditâ L. IV.

Typis Academicis W. Felix Krokoczynski E.A.D. 1647.

Insignia Inclytæ Acad: Zamosc:



Sigismundus Imperator

Quòd Principes nascuntur, & creantur; illud ad fortunam, ad casum, ad arbitrium: quòd autem Doctores & Magistri fiunt; illud ad solam Virtutem & animi quandam Diuinitatem refertur.

Eos ego Magistros & Doctores pluris facio, quos ipsa natura atq; adeò ipse Deus, cæteris omnibus maiores fecit.

Nicolaus Vernulæus in Oratione de Magisterio.

Florèntissimæ & Inclytæ
ACADEMIÆ ZAMOSCENSI
Virtutum & Scientiarum
ALTRICI

M. IOANNES BAPTISTA CZECHOWICZ
Artium Liberal: & Philosophiæ Doctor F. & P.

PRimus hic ingenii mei partus, (vt eũ bre[illegible] temporis spatium circumscripsit) nõ a[illegible]cui alteri, quàm Vobis Viri Academici debebatur. Tùm, quia in hâc Inclytâ Acad: Zamosc: primus; tùm, vt exinde facilè possitis æstimare; quantam vobis Collega vester debeat gratitudinem: qui in communem vocatus laborem & honorem, suas vobiscum spes, sua fata communicauit. Præclarum alij rentur, ingenio famam mercari, nisi nobis præclariùs esset, Nobilem Iuuentutem erudire in pietate & honore Diuino. Agite, vt soletis humanissimè, & propensiore in dies fauore, beneuolentiaq; Vestrâ fouere non desinite: vt dies ille recentē semper gratitudinis memoriā alat, quo Musis & Apollini sacer ani-

mus in Mineruæ illius Mysticæ Iouisq; antiqui statione vocatus est. Et quamuis magnitudo humanitatis in me Vestræ, & obseruantiæ in Vos meæ debitæ, grandia verba detrahat; quibus deberem, & loqui, & singulari fauori, singulari itidem antipelargiâ respondere; ipsâ tamen voluntate securus, omnium albis calculis, non demerebor silentium. In arduis enim rebus & vnicũ velle sufficit; & velle ex amore, amore inquam [illegible]sti: Erumpit semper iste affectus in bonos ac candidos, quia etiã Echidi Athletæ Samio vocem excussit præproperè. Gratus esse non possũ, nisi me æstimare denuntiem: intelligere nõ possum, nisi palàm profitear: profiteri non possum, nisi meminisse videar: àdeò vt malim potiùs à me desiderari prudentiam; quàm omnibus modis debitam Vobis non relinquere testatam affectûs mei reuerentiam. Etsi Vos ij estis, qui facilè apud omnes sitis non in minimis: pares tamen bonis esse, & haberi, maximum apud Vos ducitis. Et hic apud omnes Vestræ insignis prudentiæ summus gradus est: Nec iniuriâ. Quidquid enim apud Vos paruũ est, orbi magnũ sit, necesse est. Quod non infestiuum illud Poëtæ, aliquantisper muta-

tum

tum confirmat Acroama. *Dum esse non vis magn[...] maximus eris.* Nam dum singula animorum Vestrorum ornamenta altiori mentis trutinâ considero, oculos illicò meos perstringi sentio, à fulgore quodam, vbi nihil coloris, sed solas & insignes, video virtutes. Singuli Vestrûm, pietate, eruditione, grauitate, dexteritate, acumine, eloquentiâ, indefesso studio, & probitate, adeò præ lucent; vt in singulis Vestrũ, sit quod oculos h[...] minũ, detineat. Qui verò id prædicant, & [...] rantur, longè sunt quàm plurimi. His itaq; dono genio incitatus, Phæbum Inclytæ Acad: à Magno Patriæ Patre IOANNE ZAMOSCIO fundatæ, (quem cũ nomino, satis laudo) Vobis Viri Academici præsentandum offerendumq; esse existimaui. Sed & materiæ ipsi' ratio postulabat. Phæbum Sarmatici Zodiaci lucidum produco: cuius Vos lucidissima astra estis. Fauete in Repub: Literariâ liberâ, Viri Academici, liberis Liberaliũ Artiũ Liberis: quibus & ipsũ Gentilitiũ Literarũ & Literatorũ Patroni Stema, cælũ deniq; ipsũ fauere videtur. Vt indefesso conatu Palladẽ Vestrã Hastatam fouetis; Palladis quoq; Alumnos nouos, eâ, quâ soletis beneuolentiâ & fauore prosequimini. Valete Florete.

PHOEBVS ACADEMICVS.

QVàm benè se auspiciis Capricorni fructifer
(annus
Induit; & Lechico fruitur iactantior orbe!
Lætantur monumenta soli: bona spes trahit omnes.
Ad noua non solitum deducunt gaudia plausum.
Alme Pater Vatum, Parnassi gloria summa,
Atq; nouennalis moderator Apollo Senatûs,
Adsis. Laurigerâ carmen modulabor in vmbrâ.
Postquàm quadriiugo curru dimensus Olympũ,
Phœbus, Zodiacum Capricorni ingressus in aulam,
Calcaret pedibus; rutiloq; coruscus in axe,
Imperii fasces fausto temone teneret:
Dilectus Maiæ natus, Cyllenia proles,
Mercurius, cuî cura data est, orâcla Deorum
Narrare, & cæli responsa referre per orbem,
Nectare mellifluo quem Pallas voce disertum
Candida Amalthæo, nutriuit lacte tenellum;
Associatus ei, gemino cum fœdere sceptrum
Obtinuit: Dominæq; manûs clauiq; potentis
Iura per anni huius circumtulit aurea gyros:
Ambo

Ambo in sublimi residentes climate cæli,
Ambo peraugustum sparsuri nectar in orbem,
Ambo, & virtuti, & doctrinæ corde fauentes.
Ambo Palladiis dilecti Vatibus; ambo
Palladios ornare Viros Stephanomate prompti.
Gemmato residens Solio Sol (fulcra fuêre
Aurea; & argento circum fulgente, Smaragdus,
Iapsis, Onyx, apicem grato discrimine obibat.
Hinc, illinc, tereti intertextum pegmate marmor)
Quaquâ te ferres terram recreabat & astra,
Sol inquam iunctus Maiæ de sanguine nato,
Vt comitem & socium fidum cognouit in anni
Decursu toto, sceptri fecitq; capacem;
Talia, Terpsichores, sibi subdictante susurro,
Relligiosa effata dedit, iussitq; teneri.
Cara Iouis Soboles, interpres candide Diuûm;
Oratorq; boni mundo venerande futuri,
Oratorq; mali terris metuende scelestis.
Hæc ambo vt multis fatorum millibus ante
Præuidit cælum, immortales insita in vrnas.
Cùm secreta æui, longo signata cylindris
Ære per annales, posthâc itura nepotum
Mnemosyne tradat custodi, præpete rerum
Edicto; sacrasq;, quibus labor arduus & res,

Virtutis

Virtutis nomenq́; viris tradatur in annos
Communicant secum rationes, sensaq́; poscunt.
Quâ bonus es, cultusq́; tuæ bonitatis, & ampli
Eloquii in terris fastigia summa mereris:
Quà doctus, virtutis amans, studiosus & æqui,
Sudorumq́; Pater sat circumspectus haberis:
Quà largis similes virtute labore Strategos
Accumulare soles donis, & præmia confers.
Cerne age, Par roseum Lauretis editum in altis
Magni ZAMOSCI: semper Par dulce Virorum
Palladis in circo: seû spectes verba ligatis
Interrupta sonis, Lyrici monumentaq́; Vatis:
Seû tua mellifluo diducta ex vbere membra,
Argutosq́; modos, Tulliq́; orâcla diserti
Mireris: seû grande Sophorum in puluere Stoæ
Enthymema enatum sub acuto pectore lustres.
Cerne age ZIELONKAM, *virides cui Castalis vnda*
Lustrorum ante duos produxit tempore baccas
Circuitus; Vatemq́; meis inseuit in hortis.
Hortis, quos Triplicis munimine Sarius Hastæ
Magnus IOANNES ZAMOYSKI *circũduxit.*
Nec Brzozowicium separari à culmine tanto
Fas; Censere potest sudatos quisq́; lacertos,
Et subiecta graui conamine brachia Musis,

Quas

Quas Vollebinniaco discurrens littore Stryius
Bugusq; aspectat: Lucerin, Brodiiq; Penates
Circum ac Ostrogii, diuerso ex amne salutans
Olycæ Dominos RADIVILO Principe satos
Agnoscit, Literis celebres virtuteq; Martis.
Nobile par istud, quis amæno sydere natum
Non circumspectet non diligat, ornet, ametq; ?
Sanè ego, ad illorum, quas accepêre Mineruâ
Auspice Parnassi decerptas colle corollas,
Censerem, Geminam supperaddi in tempora Lauri.
Doctorumq; choris scribi, fieriq; Magistros:
Audiit hunc placidâ sensum Caducifer aure
Mercurius; sociamq; manum, sociumq; laborem
In conspiratos vltrò promisit honores.
Quò concepta sui constarent pectoris ima
Argumenta; moras non (inquit) temporis huius
Producam longas: eo præpes, curro, voloq;
Illuc, sudantes toties vbi cernere vtrosq;
Quos commendâsti, fuerat multum mihi gratum.
Est ibi Sol proprius, sunt & sua sydera; cælum est,
Ordine quod longo circumduxêre Planetæ.
Sêu vitam lustres spectato tramite ductam,
Sêu Artes, sêu ingenium, moresq; decoros.
Ac quid dicta velint mea, qui sit sensus eorum,

Non te credo latet. Nam quò te cunq; tulisti,
Illustres omnes meritis, Virtutibus omnes
Conspicuos, placido spectâsti lumine semper.
Sed quò res vergat, quò clarior exeat orbi;
Sarmaticus Titan, ACADEMIA Clara ZA-
(MOSCI est
Auspiciis olim Magni fundata ZAMOYSKI,
In nidis Patriæ clara Arte & Marte Polonæ.
Hæc cultrix morum placidorum, regula vitæ,
Audiit, ac audit, pietatis flumen amœnum,
V[illegible]is ad Ciues & eorum nomina resq;
Et non fucata doctrinæ norma. ZAMOYSKI
Ecquid enim Magnus non vtile publicum Honesto
Coniunctum quondam gessit, pro Ciuibus, alto
Pectore? cùm Sarias legeret conspectibus Hastas
Proponi Patriis. Quid non hic, vtile, Honestum,
In fundatâ à se, Patriæ pro commodo Honesto,
Dictari voluit, discíq; Academiâ? Honestus
Cuius vbiq; labor, sibi nullum commodum, Honesto
Contentus, quærens, Patriis, arat, occat inhortis!
Non sibi sed Patriæ, serit, metit, vnico Honesto
Contentus: lætam paupertatemq; Sophorum,
Paupere lætitiâ tegit, & solatur in vmbrâ.
Hâcce Domo Musis, Sacrâ Patriæq; Iuuentæ

In rem

In rem & grande decus fundatâ, ô quanta futuri
Ciuis vtroq; boni sunt semina iacta! Tabellis,
Quauè manu propriâ conscripta Analemata tanti
Herois? cùm quas legeret quis,quâ ratione,
Artes Professor, quibus horis,quo ordine,fructu
Quo; circumspectâ signaret singula mente.
Et tam Nobilium priuatis vsibus à se
Consultum vellet; Patrium quàm cōmodum amaret
O Te felicem Arte Sago ter Magne ZAMOY
Felicem Matrem Tibi tot genuisse Strategos! (S I
Felix Posteritas! quæ tantâ Matre beatâ
Gaudet,tot Proceres,tot lumina procreat orbi
Sarmatico! Exuperat pretium Sapientia cunctum:
Purpura cùm sapiat,Sapiens Sapientia regnat.
Felicem Lechiam!in quâ Sol Academicus ardet.
Maiores dudum,iam prædixêre Quirites.
Phœbus percurrens splendentem Zodiaci axem
Annua cuncta gradu fatali tempora signat,
Aurea distribuens regnandi Sceptra Planetis,
Hînc Regem cuiuslibet anni voce loquuntur.
Sic ratione pari celeberrima STOA ZAMOSCI
Vnanimi voto,Dominum sententia concors
Approbat: electo datur vni fixa potestas.
Ast ad Te tantæ Procancellarie Matris

Parnassi summum decus, & lux, dictio vergit,
Quem Chelmæ Antistes venerando nomine vbiuis
Conspicuus, Magnus meritis virtuteq; Magnus,
Ecclesiæ lampas, Splendor generisq; Poloni.
PSTROKONSKI roseus sua iussit munera in
(hortis,
Palladiis agere, & Sudanti digna labori
Præmia, digna Viris conferreq; Symbola dignis,
Vt meritos isthinc referas ex ordine honores,
Quos facunda Parens, large proprio vbere pauit
Horum KŁOPOCKI Tu lauro tempora cingis,
In Te spes posita est Musarum, & Pallados ardor.
Ast ego quid dicam? de Te Clarissime RECTOR
FOLTINOWICZ, Phæbo cor carum? Musa mea
(impar
Laudibus istis quas vel congessere Camenæ,
Viuum Musæum Sophiæ, felixq; labore,
Melle Camenarum, diues Charitumq; lepore.
Non Te prætereo Doctor venerande FALECKI,
Artibus excultum, Iuris splendore coruscum,
Iudicio sequeris, maturos quosq; Lycurgos,
Arbiter es Legum, Iurisq; Interpres amandus,
Candidus, Humanus, clarus virtute probatâ,
Cum grauitate graui, Tibi facundo Hermus in ore,
Ludit

Ludit, & è linguâ Iuris fluit aurea vena.
Te sequitur Solers KOLAKOWSKI mente
(serenus,
Quid valeat, multi senserunt indole cultâ, in
Morbis nodosis, quid possit iudicio alto
Cum tot mortales, ab acerbâ morte reducit
Auræ vitali; quâ nil est dulcius orbe.
Zodiaci approperat radians iubar ordine celsi
Edecumatorum Vir præstantissimus vnus
ABRECIVS cuius fluida est in pectore Suada
Credo hunc sermonem ex ipsis didicisse Camænis,
Artes egregiæ, virtus, vis ingenî, & acre
Judicium, eloquii flumen, cum lumine mentis
Viuet in hoc Viuet, Viuentq; hæc ipsa per illum.
At verò Viues & tu Clarissime Musis
BYTOMSKI cuius sat multo tempore lingua
Mellea Diuinum in populis exsuscitat æstum
Et pullos Patriæ, vocat ad Cicerona disertum.
Quis Te ô ALNPECHI Clariis sub sydera pennis
Non vehat? atq; tuos non admiretur honores
Cui Charis ore sita est, in docto corde Galenus
Sedit, & Vrania in Mathesi alto carmine fixa.
Quis te ô ZYCHOWSKI sudantem in pul-
(uere docti

Arduo

Arduo Aristotelis, soluentem Gordia plusquàm
Vincula, & inclusos reserantem cortice fructus,
Subticeat? meritumq́; vltrò non tradat honorem?
Hic sensus de te Fastorum sedule Mystes
RUDOMICZ, hîc est animus. Tu curre age capto
In stadio, monumenta tua hac in tempora current.
Currite Vos reliquæ, magnorum magna Sophorum
Numina, dilectæ Musis vigilesq́; cohortes,
Currite; & annales Vestris implete manîplis.
Sic mihi complacuit Vos omnes Syrmate in vno
Complecti, multâ sudantes arte, labore
Multo, Dii, quidquid cæli posuêre theatris;
Arte, labore, quibus Dux Virtus, candida præfert
Ad diuersa facem vitæ, posuêre, theatra
Maiores animas, venerandaq́; dicta, quid obstat,
Immò quàm prodest? non tantùm condere mente;
Sed facere id, quod rem Musarum perpete famâ
Producat, doceatq́; sequi vestigia Patrum,
Patrum: quorum alij Diuorum cœtibus altas
Emeriti retinent inscripti, sydere Sellas;
Sollicitis alij lychnis oleoq́; Cleanthis
Inuigilant, canas hyemes per tempora gestant.
Et dùm consumunt aliorum in commoda vitam,
Dum lucent aliis, ipsi extinguuntur in annis,

Ipsi

Ipſi abſumuntur; modo ſit benè publico honori.
Hi Tibi, cêu ſtellis rutilis òrnatus Olympus,
Commonſtrent ad magna viam, Par nobile, charu
O mihi Par. Iſti præeant, ductriceq; dextrâ,
Et doctrice operâ. Nec enim monitore petendus
Externo tibi pulcer honos. Cognata miniſtret
Laus animos. Alîis Decij, Curii, atq; Camilli
Monſtrentur: Tu diſce Patres: queîs maxima laudis
Materies iſthinc accreuit, quod benè Patrum
Acta ſequi, nunquam proprio duxêre pudori.
Sed magè contentis gradibus per aperta Labori
Argumenta ſui, ſic perrexêre, Minerua
Vt dixit vigilans, vt iuſſit lege Cathedra.
Sic pietas, ſic priſca fides, ſic Inclyta Virtus
Suaſit, & ancipitem tolerans fortuna laborem.
Aſt hæc cum canimus, ſyncero & corde monemus
Conſeruanda Viris, quos Phœbus lauriger ipſe
Ornari cupiit Lauro Parmeſside, docta
Pallas & ipſa ſuo quos exornauit oliuo:
Annuite ô Proceres, Lauros concedite veſtras.
Lauros, queîs Virtus cupit immortalis haberi.
Lauros, queîs rutilans labor improbus omnia vincit.
Lauros, queîs fulgent Doctores atq; Magiſtri.

LAVRVS

LAVRVS DELPHICA

Venerabili & Reuerendo Domino

IOANNI ZIELONKA

Eloquentiæ in Inclytâ Academiâ Zamosc: Professori cum lemmate Alexandri Seueri.

Semper Virebis

NOn vile nomen, nec popularia
Momenta laudis, mens agitat mea;
Fauete linguis. quæso. canto
Multisciis Neo-Candidatis.
Dentur coronæ, gloria, laus, decus
Doctis, probatis, emeritis viris
Virtute, nec non & labore,
Edecumati animi Vigore.
Prodest Lycæo, rebus in arduis,
Ornata virtus inclyta honoribus,
Nam per salebrosum, probatur
Ingenium, studium, Virorum.
Dignus decorâ in puluere olympico
Ac æuiternâ laudis adoreâ
Qui certat, & cursu coronam
Assequitur, vel habere quærit.
Est Curtiorum gloria nobilis,
Est fama grandis, nec moritura ea,
Quam Patriæ Patri Quirina
Posteritas dedit ore terso.

Laus

Laus Scipionis sydera peruolat,
Viuit Metellus, Par Fabiis, Cato,
Et Sylla, Codrus, cum Lucullo
A stygiis prohibentur vmbris.
Quis militares? Cocliti Horatio
Neget corollas? dum stupet horridum
Armis: potentem Mutiumq;
Corpore viuere nescientem.
Baccata sed dum præmia frontium hæc
Fortuna multis sæpe fauens dedit,
In Marte crudo, cæca, vecors,
Iudicio minus expolito.
Victoriales cum vaga adoreas
Et his & illis, contulit abstulit,
Viles popelli calculosq;
Blanditiis petiit dolosis.
Quis hæc profundo, pectore perpetim
Miranda sumat? temporis ipsius
Itura in escam, perbreuesq;
Falcigeræ Lachesis fauillas.
Quæ fraudulentis munera dexteris
Rhamnusis ambit, queîs fatuat dolis,
Αδῶρα δῶρα censeamus;
Suppositamq; rosis cicutam,
Idem sit eius quem populus rudis
Venatur auræ sensus, ab integro
Fauore veri destitutæ,
Dum sua quisq; agitat, suamq;
Attentus ad rem, publica negligit:
Contentus vno hoc, quòd placido loquax
Sermone de se fama currat,
Fictitiis agitata gestis.

Nulla est coronis gratia callidis;
Quocunq; tandem gramine condiat
Mentitus illas plebis ardor,
Et strepitu terat usq; rauco.
Vis Martialis mole ruit suâ:
Sors consilî; expers, tempore deperit:
Flaccescit æstus plebis, ipsis
In studiis, medioq; plausu.
Exercitatum pectus, in asperis,
Suetumq; duros frangere cortices
Scientiarum, per laborem,
Cor, quod amant Charites & ornant,
Cor, quod diserto carmine Palladôs
Cœtus propagat; nulla dies fugax
Delebit illud, sed perennes
In titulos renouabit orbis.
Non hoc molesto turbine si ruat
Obliuionis liuida pessimæ
Mater profundi & fraudulenta
Inuidia è barathri camino;
Non hoc citatas, si instabilis rotas
Vortumna verset præcipiti pede,
Et sueta mille ferre fraudes,
Excidium tonet, ac ruinam;
Horrore quoquam, sat benè prouidum
Minis grauabit: quò magè sed premet
Hòc in decores excitabit;
Vt magè agàt, satagat, laboret.
Sic cæca cedit sors malè consulens.
Sic & popellus rebus in arduis
Cedit labori virtuoso,
Solicitamq; stupet Mineruam,

Fatatur

Fatetur vltrò Laureolas Virûm
Virere ſemper; nec Borealibus
Marceſcat ilicet procellis
In glaciem reſolutus æther;
Vltrò in decoros expedier tholos,
Maiora ſemper culmina gloriæ
Æternitati conſecrari,
Per ſtudium vigilesq́; curas
Sed hæc probâſti pectore maſculo,
Ad regna anhelans Palladis inclytæ,
ZIELONKA, multis anſa poſthâc
Vatibus in ſtudio future.
Arctum tibi nil, nil graue,& arduum,
Quod ferre cenſet gloriæ amor potens,
Quod ſancta virtus ad labores
Sollicitos animans miniſtrat.
Parata ſemper mens tua candida
Adhæſit amplo cætui Apollinis;
In Dia Muſarum receſſa,
In Triuiæ numerum relata.
Nôſti diſerti flumina Neſtoris,
Suauesq́; Suadas,& Charitum melos
In corda ſtillare audientûm,
Herculeis retinendo vinclîs.
Nôſti Viretis mella in Hymettijs,
Rerumq́, nectar carpere Virgiliî,
Laborioſas æmulatus
Indole apes generoſiore.
His ter beatis in violariis
Aſperſa terſis verba leporibus
Cygniq́; concentus, ab ipsâ
Pallade diceris extuliſse,

 His ter

His ter beato nomine & omine
Plantatus hortis, ſumito Apolline
Fauente Lauros, & Vireſce
Nomine reꝗ; tuâ ZIELONKA.
Et nunc vireſcunt hæc monumenta ZAMOSCI Tuorum. Nam Patrui labor
Notus Lycæo Nomen eius
Sic celebrabis honore adultum.
Semper virentes, poſteritas Tibi
Inter perennis, culmina gloriæ
Nectet corollas: nunc dicatos
Accumulat ſtudioſa honores.
ZIELONKA felix, Diîs pietas tua
Et Muſa cordi eſt. Hinc Tibi copia
Manabit è cornu benigno
Gloria, laus, decus, amplitudo.
Laureſcet iſthæc, ingenii tui
Fæcunda proles, laus opulentiæ
Nec Te mori permittet vnquam
Laurea pro meritis recepta.

LAVRVS CYPRIA

Venerabili Domino

GREGORIO IOANNI BRZOZOWICKI

Eloquentiæ in Academia Olyeenſi Profeſsori cum Lemmate Tiberii Cæſaris

Ibis tutiſſimâ Lauro.

QVid nouennalis ſtudium remittis
Ordo? perdignos celebra Strategos;

Docta quos Pallas beat, affluensq;
Copia cornu
Sudor insignes iter ad Coronas
Monstrat, & non plebs simulata, fronti
Inserit laurum, Nabathæus oris
Quam dat Eois
Troia quid laudat Priamum superbum?
Non ego damno populum Sagatum
Qui decus genti, meritis sagoq;
Addidit vrbi.
Non Virum rectum faciunt phalanges,
Non color vestis Tyriæ superbus,
Non trabes auro nitido coruscæ
Regnat in his lis.
Nulla vis maior pietate verâ
Nulla maior laus. tribuiq; debet
Quàm Viris doctis, probitate magnis.
Dixit Apollo.
BRZOZOVI talem genium Camænæ
Lacte virtutis tenerum fouebant.
Tanta virtus cum pietate sedit
Pectore docto.
Ampliùs eristas retinere Grais
Non decet fastu simili Lycæis,
Orbis effætus nec adhuc Viris est
Axe Polono.
Artium Doctor meliore nisu
Claustra Musarum reserauit arte.
Fama BRZOZOVI, meritis parata
Esto perennis.
Spiritum Graiæ dederunt Camænæ
Arduum Clio docuit laborem.

Digna

Digna ſedes eſt Charitum illius cor
Teſtis Apollo
Docte BRZOZOVI, Ciceronis Heres,
Laurus, illimes Heliconis amnes
Incolens, dignos tibi ſerta nectens
Spirat Honores.
More conſueto, ſtudioſa per te
Dum graui edicto Cicerona pandis,
Audiat roſtris Oſycæ iuuenta
Currere laudes,
Non niſi in doctos, vigilesq; Muſas,
Non niſi auguſtum quibus ad labores
Expeditum cor, ſtudiumq; recti,
Ardor Honeſti.
Doctus ex iſtis magè diſce ſemper
Sanguinis laudem, ſuperat diurna
Merces, in cælis locat hunc Honorem
Aere perennem.
Plebis haud torpor Lechiæ probatur
Et nefas magnum ſtudio remiſſo
Viuere audimus ſteriles honeſti ex-
Cludimus omnes.
Ergo quod præſens Tibi præparaſti
Mente ſedatâ genio laboris
Prende eam laurum Tyberi futuram
Prodigioſam,
Ibis hac tutò decoratus ibis
Siue longinquos aditurus Indos
Dux viæ ſtratæ Cicero Tibi ſit
Normaq; recti.

ÆNIGMA

ÆNIGMA

Studiosæ Iuuentuti Inclytæ Acad: Zamoscensi propositum.

EXpolit ingenium Vinum, sic creditur orbe
Solue, age Symbolon hoc, non minùs expolie
Dic? Philomuse sagax. quæso. quo nomine dicor
Dic animal quadrupes. num bipes! Ecquid agis
Mortuus an Viuus? qui Vitam in corpore dego
Nil mihi sanguinis est, carne ferè careo.
Ipse fero, foueo fæcundam & vestio Matrem
Viuo cum morior: mors mea Vita mihi.
Viuo grande nefas natura loqui putat ore,
Me viuente nihil, dicere fasq; nihil.
Sed si extracta domo fuero, & ceruice reuulsâ
Absq; meâ linguâ, tum mihi verba fluunt,
Si solitus potus adderit, per carbasa lini
Currendo tenuis, prodere verba scio.
Me me Rhenus, Hebrus, Ganges, Padus, Hermus, & Ister
Albula, Molta, Tagus, Nilus & Alba fouent
Per me longinquis dantur Secreta Dynastis
Et si ibi non fuero, notus vbiq; volo
Vita datur per me inter viuos morte peremptis
Mortua si fuerint, ora loquuntur idem.

Excel-

12

Excellentiſs: & Clariſs: Domino
D. ANDREÆ FABRECIO
I. V. Doctori & in Alma Acad: Zamoſc: Profeſsori digniſsimo.

Amico meo pluſquàm colendiſsimo.

LOGOGRYPHVS.

Anticipet Primam, quæ eſt Tertia; Prima ſequatur,
Lambda ſit hiſce comes, cum primo Principe iunctum,
His Duodena Cohors, viginti ſigna deinceps
Aſſociert ſe ſe; ter ſextûs tyro, pauore
Sibilet à nimio licet, attamen agmina claudat.

DEDICATORIVM.

Hæc Tibi de Viridi Clio ſua munera Pindo
Mittit; Phæbeâ Vir celebrande chely.
Iudicio, linguâ calamo promptiſsime, cunctas
Impendis Vires, Palladio & Patriæ
Hinc tua ſe varias orbis diuiſit in oras
Fama, vbi Diſcipulis, laus tua ſumma viget.
Ergo tuum nomen viuet, dum Viſtula arenis
Aut oculus mundi luce carebit inops.

Deo Ter Optimo Maximo & Illibatiſsimæ Virgini Mariæ Honor & gloria perennis.

D
ur
M
Ip
Vi
Se
Si
Me
Pe
Vi
lli-